



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Qvid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibvs, Qvæ Religiosvm Constitvnt, vel ad illum disponunt

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1625

XIV. Quo te[m]pore cœperit esse in Ecclesia castitatis obligatio in
Episcopis, ac presbyteris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93480](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93480)

novam obligationem castitatis addit: & ideo nullum inde sumi potest argumentum. Aliquando etiam cogitur aliquis, simpliciter ordinari in sacris, non tamē absolute, sed supposita obligatione alicuius beneficii, vel dignitatis ecclesiasticae, quae habet, ratione cuius obligari potest, nisi malit beneficium dimittere, & ita semper illa obligatio est pendens ex conditione voluntaria. Omitto religiosos, quibus interdū hoc absolute praecipitur: illi enim ratione voti obedientiae ad plura obligari possunt, & cum iam habeant votum castitatis, nullū nouum onus in hac parte suscipiunt. Adde denique si occurrat casus in quo propter commune bonum aliquis obligetur absolute à Pontifice ad sacros ordines suscipiendos, illum consequenter obligari ad perpetuam continentiam, neque id est inconueniens in particulari, & ratio casus, in quo sicut prius supponitur necessarium ad commune bonum, ita & postea propter idem commune bonum tolerandum est: quia esset magna deformitas in tali casu continentiam ab ordinatione separare.

Ad alteram partem responderetur negando vltimam consequentiam, nam cum Ecclesia utatur iure suo, nulli facit violentiam, sicut non fit violentia ei, qui cupit alicui religioni vniri, & se illi tradere, vel foeminę, quae desiderat perpetuo inter moniales, & cum earū habitu viuere sub conditione ab illa exigendo, vt votum castitatis, & alia religionis vota promittat, si cōmodis, & bonis illius status frui vult. Ita ergo nunc gerit ecclesia, quod vero aliter factura esset si nulli essent qui talem conditionem vellent acceptare, & accidentarium est, & cogitatione potius fingi, quam timeri potest. Quin potius de diuina prouidentia spectandum est, nunquam defuturos multos, qui non ex ambitione dignitatis, vel gradus, neque ex cupiditate diuitiarum, sed ex affectu virtutis, ac religionis ad Deum, saltem vt ex principali intentione hunc statum accipiant, eiusque continentiam promittant.

Atque hinc facile patet responsio ad tertiam obiectionem in principio propositam, ob quam dixerunt aliqui Catholici expedire vt haec lex continentiae irrogaretur ab Ecclesia, & voluntati ordinandorū relinquere illā voveret, vt afferunt Panorm. in c. cum elms. de Cler. coniug. Palacios vero d. 25. disp. 2. circa 6. concl. attingens quaestionem, an hoc expediat, iudicio sedis Apostolicae relinquit. Mihi autē videtur sedem Apostolicam satis in hoc nam iudicium significasse, & quamdiū aliquid non declarauerit, certum existimo non expedire talem mutationem facere, vt omnes etiam Theologi censuerunt dist. 37. & 38. & ostendit late Bellarm. supra, & Medin. li. 3. de Continentia c. 7. & alij, quia res est antiquissima & per se honestissima, & nulla est sufficiens ratio talis mutationis, maiora enim incommoda ex matrimonio clericorū sequerentur, quā nunc sequuntur ex celibatu, si omnia recte pensentur. Neque obstat obiectio facta, est enim accurate distinguendum, aliud esse exponere homines periculo fornicationis, vel facilegiū, aliud vero esse permittere vel potius tolerare huiusmodi pericula, vel lapsus, qui secundū humanam fragilitatem eueniunt. Hoc secundum sit necessatio ab Ecclesia, quia eius prouidentia, & gubernatio, quantumuis perfecta, humana est, & nō potest omnia incommoda vitare. Primum autē nec fit ab Ecclesia, nec in hoc negotio potest illi imputari, quia status clericorū de se non habet illud periculum adiunctum, voluntarium etiā propositum, vt Gregor. supra in sinauit, multū confert, vt futura mala caueantur, & ministerium ipsū de se multū iuuat ad eundem finem: ac denique prouidentia quae semper Ecclesia adhibuit ad cauēda haec pericula, magna semper fuit, vt ex ipsis etiā canonibus Apostolorum intelligi potest, infraque videbimus.

Igitur quod his omnibus non obstantibus aliqui Fr. Suarez de statu relig. com. 3.

& plures humani lapsus sequantur, non refert, vt ob eam causam existimandum sit tantum bonum ecclesiae non expedire, praesertim cum in omni statu timeri possint lapsus, & incommoda, quae sine dubio fuissent maiora si sacri ministri continentiam non obseruarent: nam in materia castitatis fortasse essent in multis aequales lapsus, & in ceteris quae sine dubio est maior pars clericorum, priuaretur Ecclesia insigni virtute, & decore castitatis suorum sacerdotum, quae & ad sacrificij reuerentiam, & ad sacerdotij honorē, & ad fidelium exemplum valde necessaria est, vt recte dixerunt Hier. li. 1. cōtra Iouinian. Epiph. haer. 39. Ambr. li. 1. Offic. c. vl. Aliunde vero nec circa spirituale regimen, nec circa dispensationem bonorum Ecclesiasticorum, moraliter loquendo, debita cura & fidelitas obseruari possent. Propter quod Iustinianus Imperator in d. l. non semper, C. de Episc. & clericis, pie ac sapienter optabat, vt Episcopus non solū post Episcopatum susceptū filios non gigneret, verum et vt ante Episcopatum susceptum illos nō habeat, etiam ex legitimo toro natos, & consequenter, vt qui illos haberit in Episcopum non eligatur. Quia oportet, inquit, Episcopum nulla erga eos liberos, qui carnis & corpore parantur, affectione & studio praepeditum omnium fidelium animos parentis charitate & beneuolentia comprehendere.

CAPVT XIV.

Quo tempore coeperit esse in Ecclesia castitatis obligatio in Episcopis ac Presbyteris.

EX dictis in capite superiore constat institutionem hanc esse Ecclesiasticam, nam cum nō sit diuina, alia esse non potest, cum legitima sit, & honesta, vt ostensum est, & vim habeat obligandi, vt per se constat, & obiter etiam ostendimus, & in hoc & sequenti capite clarius constabit. Oportet ergo auctoritate huius institutionis ab eius antiquitate & origine inuestigare, quae vt distinctius fiat, non cōfuse de toto ordine sacro, sed distincte de singulis sacris ordinibus dicemus. Distinguemus praeterea illas duas partes continentiae, scil. vt qui absque vxore ad ordinem sacrum in admittitur, vxori copulari non possit; qui vero iam vxoratus ordinatur, ad vxorem accedere non possit: in priori autē parte duo possunt distingui, scilicet, prohibitio, & irritatio matrimonij contrahendi, nunc vero solum de prohibitione agimus, nam de irritatione infra specialiter disputandum est.

Sensus quaestioni distinctus.

Dico ergo primo à tempore Apostolorum obseruatum in ecclesia fuit vt Episcopus ac Presbyter iam ordinatus matrimonium contrahere non permitteretur. Cōiungimus hos duos gradus, quia licet semper fuerint distincti, in primitiua Ecclesia, ac tempore Apostolorum frequenter coniuncti erant, & quod praesens attinet, decreta, quae de Presbyteris loquuntur, quae frequentiora sunt, à fortiori in Episcopis locū habent. Probatur ergo primo Apostolorum exemplo, nullus enim eorū qui ante acceptā vxorem ad Apostolatū vocatus est, eam postea duxit: quod in primis constat in Ioanne Euangelista, quem virginem à Christo vocatū fuisse, & virginem perpetuo mansisse certius est, quā vt probatione indigeat. Illi vero an numerandus est frater eius Iacobus; nam de vtroque sic scribit Epiph. haer. 38. Ioannes & Iacobus filij Zebedaei, qui manserunt in virginitate, neque, tamē propriis manibus membra resecuerunt, neque nuptias contraxerunt, sed proprio corde decorarunt, & mirabiliter gloriae coronae huius certaminis absulerunt.

Neque Episcopus neque Presbyter in matrimonio coniungi habere permittuntur à tempore Apostolorum.

Tertium his adiungere possunt Iacobum fratrem Domini, nā licet hoc de illo expresse non referat Hegesippus, ea tamen de illo scribit quae manifeste indicant eum vitā à matrimonio satis alienā duxisse. Nā, vt referunt Eusebius lib. 2. hist. c. 22. & Hieronym. de Script. Eccles. Iacobus ab infanzia sanctus fuit, vnum & sicram non bibit, animalium carnis se abstinuit, nunquam

3.

Apostolis sensit Hieronym. li. i. contra Iovinianum, & cepit. 22. & alios infra referemus, qui continentiam saltem omnibus Apostolis attribuunt.

8. Quod ergo Clemens Alex. dixit libr. 3. S. romat. Philippum Apostolum genuisse filias, si verum esset, intelligi deberet, eas ante Apostolatū genuisse, nullum tamen ad id afferendum fundamentum habuit, sed a quo uocatione nominis deceptus est, putauit enim Philippum illum, qui filias habuisse refertur Act. 21. Apostolum fuisse, quod ex eodem refertur Niceph. li. 3. c. 24. & ex Papiā c. 33. & non improbat; idē tenet Euseb. lib. 2. hist. cap. 1. ubi Philippum illum, de quo fit mentio Act. 8. non Apostolum, sed alium, qui cum Stephano Diaconus ordinatus fuerat, fuisse affirmat. Et lib. 3. c. 25. ex Polycrate refert eundē Philippum Diaconum fuisse, qui filias haberet, quod uerum magis; receptum est. Imo in dict. c. 21. Act. videtur satis expresse, vocatur enim Philippus Euangelista, qui erat unus de septem. ac si diceret, qui in cap. 6. electi & diaconi ordinati referuntur. Quod uero ulterius ibi dicit Clemens Philippum filias tuas uirū tradidisse, de quo eunq; Philippo intelligatur, fundamentum non habet. neque ab alio afferuntur.

9. Quod uero Ignatius epist. 9. ad Philadelphenses exemplum ponens sanctorum, qui rei uxorie se dederunt, inquit, ut Petri & Pauli & aliorum Apostolorum, qui nuptias operam dederunt, difficultatem maiorem facit contra dicta. Nam licet de Paulo respondere possimus in Vaticano codice, & in alijs antiquioribus nomē Pauli non inueniri, ut ibi Scholiastes, & Bellarm. lib. 1. de cler. c. 20. notant, & latius Baoniū citatus confirmat. Tamen de alijs Apostolis non tam facile possumus id dicere: nam licet Baron. in principio dicat nouiores deprauiasse epistolam Ignatij, & post Petrum addidisse, Paulum, & alios Apostolos, tamen de hoc posterori uerbo, & solus ipse hoc dicit, & postea nullam de illo probationem adducit, sed solum de nomine Pauli, unde fortasse hoc solum in prioribus uerbis significare uoluit. Ex hoc ergo loco aperte colligitur alios Apostolos praeter Petrum habuisse uxores, quamquam non omnes. Atq; idem sensit Clemens Alex. dict. li. 3. Strom. sed hic mouetur testimonio Pauli. ad Cor. 9. dicens, Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem cum duce, sicut & caeteri Apostoli, & fratres Domini & Cephas: hic uero locus nō cogit, quia ibi mulier non significat uxorem, sed quamcumq; frēminā, ut communiter antiqui & moderni expostores ibi interpretantur, & Hieronym. ac Tertul. locis citatis: & sane cum ibi Paulus distinde numeret fratres Domini, quos constat uirgines fuisse, sufficiens argumentū est de uxoribus non loqui. Ex Paulo ergo non cogimur dicere alios Apostolos habuisse uxores. Ignatius uero de aliquibus id affirmare uidetur, quod fortasse ita fuit; quamuis non constet qui uel quot illi fuerint: qui conq; tamē illi sint ante Apostolatū eas habuisse intelligendum est, non postea illas accepisse, ut omnia quae haecenus diximus sufficienter probant.

10. Dicit uero aliquis Apostolos non lege sacerdotij, aut Episcopatus adductos matrimonio abstinuisse, sed quia uoluntarie perfectionem cum Christo professi sunt. Respondet uero uerum quidē hoc esse, praesertim de his Apostolis, qui Christum in hac uita mortali uidentem sequuti sunt. Imo in precedenti capite ostendimus Christum Dominum de hac continentia Episcoporum, & sacerdotū legem non tulisse; quid ergo mirum quod Apostoli, qui primi omnium illam seruauerunt, non ex uoluntate legis, sed uoluntarie illā amplexi fuerint? Apostolorū ergo exempla nō adducimus, ut in eis legem ostendamus, sed ut optimam originē, & initium huius legis in dicemus. Apostolos ergo imitari ceperunt S. Episcopi, qui ante matrimonij ad Episcopatum ab ipsis Apostolis assumpti sunt, ut licet

colligere ex Ignatio ep. 9. ad Philadelphenses, ubi in hoc numero ponit Timotheum, Titum, Euodium, & Clementem; ex quibus intelligi potest reliquos probatos Episcopos, quia ad Episcopatum caelibes electi fuerunt, caelibes semper permansisse: nam de his, qui post primum coniugium ad sacerdotium uocati sunt, certum est ad secundas nuptias postea non transisse, cū bigamiam in sacerdotibus Ecclesia semper detestata fuerit. Deniq; quāuis positum, ut sic dicam, ostendere non possumus, nullū unquam Episcopū uel sacerdotem post suam ordinationē, permittēte Ecclesia, nuptias contraxisse, illud saltem certum est, oēs Episcopos & Presbyteros, de quorū uita laudabili nobis constat, hanc legē obseruasse, neq; aliquem ex probabili historia ostendi posse qui post Presbyterium uxoriē accepserit. Nam quod de Gregorio patre Gregorij Nazianzeni quidā afferunt, extra rem est: nā constat ex orat. 19. eiusdem Nazianz. non solum ante sacerdotium, uerum etiā ante Baptiz. uxoriē duxisse, quod illi superuixit, & quantum ex discursu illius orationis potest colligi (quamuis expresse non asseratur) post sacerdotium semper cū illa continēter uixit. Est ergo moraliter euidens hūc morē exēplo Apostolorū statim ab initio introductū esse in ecclesia, ac generaliter obseruātū.

Atq; hinc tandem concluditur eam legem, uel obligationem, quā nunc in Ecclesia catholica uidemus, antiquissimam esse, & ab hac Apostolica traditione manasse, quomodo autē introducta fuerit, aut quando in rigore inceperit, sub rigore obligationis, & necessitatis, non credo facile definiri, nisi dicendo hoc fuisse praecipuum Apostolicum traditum in can. 27. Apostolorum, qui sic habet. *Inuupti qui ad clericum prouocati sunt praecipimus, ut si uoluerint uxores accipiant, sed leuiticos, aut reges, tuncummodo, quem in hoc sensu defendit Turrian. li. 1. pro canon. Apost. c. 2. nihil uero speciale in illius confirmationem, uel explicationē adducit, indiget tamē certe expositione, quia nimis probat si leuiticos tūc & cantores excipiantur, oportet ergo sub illis oēs minores ordines intelligere. Sed quia hi canones non habent omnino certam auctoritatem, ideo dixi nō esse omnino certum huius obligationis initium. Nam licet hic canon in Trullano can. 6. ab illis Patrib. receptus sit, tamē etiam illi canones Trullani incertā habent auctoritatem, ut constat ex Decret. d. 16. & est res uulgata. Praeterea nullū decretum Concilii, uel Pontificij inueniunt, ad quod initium huius obligationis redacatur. Nā licet Gratianus in c. ult. d. 27. ex Calixto referat hoc decretum, Presbyteri, Diaconi, subdiaconi & monachi concubitus habere, seu matrimonia contrahere penitus interdiximus, tamen ille canon nō Calixto I. sed secundo tribuitur a Gratiano, iuxta mendatiorem inscriptionē, & potius uisus tribuendus esset, ut in scholijs Gregoriani codicis notatur; fuit autē uisus uisus II. ann. 1077. ante quod tempus erat sine dubio haec obligatio in Ecclesia, ut ex Concilio Neocaesar. constat c. 1. Presbyter, aut, si uxorem accepit ab ordine deponatur. antiquior uero est haec obligatio etiam hoc canone, ut ostendimus, referenda ergo est ad immemorabilem consuetudinem, quae usq; ad tempora Apostolorum refertur. Obligatio autē quae consuetudine nititur aliquando incipit per actus, qui fiunt sine obligatione praecipiti, quorum usus paulatim immutat iudicium, & intentionem operantium, & ita tandem introducitur obligatio; quando autem hoc modo inducitur, difficile, uel potius impossibile moraliter est certum initium eius designare. Hoc autem modo potuit in praesenti contingere, nam in principio seruire fidei & charitatis, & Apostolorum exemplo ac uerbo facile poterant omnes, qui ab eis sacerdotes ordinabantur induci ad promittendum caelibatū, si antea erant inuupti.*

Priores uero Episcopos ita ab Apostolis consecratos,

11. Haec obligatio continentia incertum est quando sub praecipiti incipit.



tos, eandem regulam tanquam optimam, magisque conuenientem in successoribus, vel coadiutoribus suis consecratis obseruasse, uerisimile est; atq; intra breue tempus consuetudinem pro lege, & regula acceptatam esse. Oportet autē hic duo distinguere, unum est antecedens, ut sic dicam, ordinationem sacerdotis, aliud consequens. Hoc posterius est abstinere à matrimonio cōtrahendo post ordinationem, & hoc existimo semper fuisse sub obligatione, saltē ratione promissionis, quam in ipsa ordinatione faciebant; quia reuera semper in Eccl. sia existimatum est malum ac turpe post sacerdotium, matrimoniū contrahere, ut amplius ex dicēdis constabit. Antecedere autem ad obligationem ipsam dico hanc regulā seu ritum non ordinandi aliquem sacerdotem, nisi imponendo ei onus seruandi seu promittendi calibatū; & quoad hoc dico non mihi constare quādo ceperit esse sub obligatione, vel respectu Episcopi ordinatis, ut neminem nisi sub hac lege ordinare audeat, vel respectu clerici ordinati, ut intelligat eo ipso quo ordinatur promittere calibatū, vel ad illum obligari ex lege Ecclesiastica. Quid uero in hoc probabilius coniectari possit ex sequenti assertione constabit.

13.
Episcopi & sacerdotes in Ecclesia Latina tenentur ab vxoribus antea dūctis abstinere, &c.

Dico secundo, Episcopi & sacerdotes, qui post matrimonioium consecrantur, tenentur à proprijs etiam vxoribus continere, quanquam hoc præceptum in Ecclesia Græca non obliget propter cōtrariam consuetudinē: Vnde non satis constat sit ex traditione Apostolica manasse. Prima pars assertionis certa est, ac de fide. Probari autē solet ex illo Pauli, *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnus vxoru virū, sobrium, prudētem, ornatum, pudicum, &c.* ad Tim. 3. & ad Tit. 1. ubi pro pudicum ponitur, *continentem*, quod aliqui intelligunt de continentia etiam à copula licita, quæ est cū propria vxore: nam de communi castitate intelligit uerbum aliud *sobrium*, nam vox Græca non solum temperatum, sed etiā castum significat, & est quidem pia expositio, non tamē cogens; quia dictio *Continentem*, in rigore explicari posset de calitate quæ illicitā continentiam excludit, vel de continentia ab omni immoderata perturbatione, ut Hletoen. etiam exposuit. Adde etiam uerbū *Oportet*, in rigore non semper cōtinere præceptum, nisi quatenus materia, cui adiungitur, ex se necessaria est ad morum honestatem. Præcipue igitur probanda est conclusio ecclesiasticis decretis statim referendis: ad cognoscendam autem radicem huius obligationis, recurrendum est ad traditionem, sicut in præcedenti assertionē factum est.

14.

Et in primis iam supra probatum est ex sanctis Patribus Apostolos, qui post nuptias uocati sunt, post uocationem ab vxoribus perpetuo abstinuisse. Quod optime colligitur ex uerbis Petri Marth. 9. *Eccenas reliquimus omnia, & sequi sumus te, quid ergo, &c.* nā quod sub illis omnibus vxores etiam comprehendantur, ex uerbis quæ Christus Dominus subiungit, facile intelligi posset, *Omnis, inquit, qui reliquit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, &c.* Reliquerant ergo Apostoli etiam vxores eo modo, quo poterant, scilicet quoad totum. Huic autem exemplo conformem etiam fuisse Apostolorū doctrinam, testatur Concilium II. Carthag. cap. 2. *Ut quod Apostoli, inquit, do. uerunt, & ipsa seru. ut ant. quitas, nos quoq; custodiamus ab vnueris Episcopis dictum est. Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, uel qui sacramenta contrectant, pudicitia custodes etiam ab vxoribus se abstineant.* habetur in cap. cum præterito 84. d. ubi etiā expendendum est uerbum illud, *& ipsa seru. uit antiquitas*, fuit enim Concilium illud celebratum ante mille ducentos annos, & ad antiquitatem refert hanc obseruantiam: ergo plane intelligit etiam prioribus quadringentis annis extitisse, quamuis ibi non explicetur, au

semper fuerit sub obligatione, uel solum in usu, & praxi Ecclesiæ. Verisimile autem est tam perseverantem consuetudinem in re tam ardua, & difficili non fuisse sine obligatione, quod etiam ex testimonijs aliquorum Patrum statim constabit.

Deinde plures etiam summi Pontifices apertius hanc legem declararunt, inter quos antiquior Clemens I. qui in epist. 2. ad Iacobum fratrem Domini, de ministris, qui ad diuina ministeria eliguntur, sic ait, *Si post ordinationem ministro aliaris contigerit proprium intrare cubile vxoris, sacrari nō intrat limina, &c.* Est uero illa epistola incerta. Gratian. uero in cap. *ministri* d. 87. illum canonem tribuit Lucio Pontifici. Innotatamen p. 6. cap. 87. ex Clemente sumptum purat, & uidetur probabilis, ut in Gregoriano etiam scholio notatur. Ex ueteribus ergo decretis indubitatis antiquius uidetur esse Siricij in epist. 1. cap. 7. & ideo heretici illum dicunt auctorē huius continentie sacerdotalis: sed immerito, tum quia Concil. Carthag. citatum tempore illius Pontificis congregatum est, & maiorem antiquitatem aperte significat, tum etiam, quia uerba Siricij idē præ se ferunt, sic enim ait. *Quarum sanctorum sacerdotis omnes, atq; leuise in solubili lege constringimur, ut à die ordinationis nostra sobrietati ac pudicitia, & corda nostra mancipemus, & corpora, dum modo per omnia Deo nostro in his quæ quoridie offerimus, sacrificijs placeamus, &c.* & inferius penā imponit his, qui huiusmodi continentie uoluntate extiterant: quod ergo illam legem antiquiorem esse, & non ab ipso de nouo ferri. Quod decretum refert Innocent. in ep. 3. ad Exuperium cap. 1. & prius indicat hoc ius esse diuinum, sed intelligit solum per imitationem, seu cōsonantiam cum iure diuino: solum enim cogentias affect, quas ex ueteri lege supra adduximus. Postea uero significat illam legem à Siricio fuisse latam, eam enim uocat, *formam Ecclesiasticæ uitæ, & discipline*, quæ ab Episcopo Siricio ad prouincias committitur, & deinde illos excusat, qui per ignorantiam illius decreti post illud editum lapsi sunt. Veruntamen illos excusat à pena de positionis, non à culpa, & quoad illam censuram, seu penam uerum est à Siricio primum illā legem fuisse sancitam. Sunt qui existimant antiquam legem per consuetudinem ita fuisse tempore Siricij mutatam, ut iam non obligaret, & à Siricio fuisse instauratam: uerum hoc (licet parum referat) in illis epistolis non habet fundamentum, & ex epistola Siricij contrarium potius colligitur. Simile decretum habet idem Innocent. in epist. 2. ad Vistricium cap. 9. & de eadem re sine dubio loquitur in epist. 5. Idem repetit Leo Papa epist. 82. ad Anastas. 4. & epist. 90. ad Rusticum c. 3. ubi hanc prohibitionem auxit, ut infra uidebimus, ubi recentiorum etiam Pontificum decreta referemus.

Ex his ergo sufficienter intelligitur legem hanc in Romana ecclesia semper fuisse obseruatam, ut uerbis etiam expressis affirmat Gregor. libr. 1. epist. 42. Eandem uero legem in Occidentali Ecclesia receptā fuisse, ex varijs & antiquissimis Concilijs Prouincialibus intelligi facile potest, & primo loco, ut cæteris antiquis, asserti potest Concilium Elibertinū, quod in can. 33. hoc statuit sub pena de positionis, & eodē tempore idē significauit Concilium Arelatenle II. can. 2. dicens, *Assumi aliquē ad sacerdotium nō posse in vinculo coniugis constitutum, nisi fuerit promissa conuersio*: nam hoc uerbo promissionem castitatis indicat Concilium Carthaginense II. quod iam supra adduximus: & eodem ferē tempore Concilium Taurinense canon. 7. edidit ualde notandum, sic enim habet, *Qui in ministerio genuerint filios, ne ad maiores gradus ordinū promouantur synodi decreuit auctoritas*. Quibus uerbis significat et in minoribus ordinibus constitutos, si uelint ad superiores ordines ascendere, nō debere post ordinationem

nem suam filios generare, alioqui non esse promouendos: quod ego intelligerem, viuentē vxore. Præterea in Concilio Tolet. I. cap. i. simili modo statuit non solum vt Presbyteri abstineant ab vxoribus, verum etiam, vt si antea in diaconatu non abstinerint, non ordinentur Presbyteri, & si in Presbyteratu lapsi fuerint, non fiant Episcopi. Et in Tolet. II. c. 1. est egegrum de hac re decretum, in quo in summa dicitur, adolescentes in minoribus constitutos decimo octavo ætatis anno esse interrogandos, an velint castitatem promittere, quam si spondeo voluerint, tanquā *appetiores arctissima via suis gradibus ad superiores ordines esse promouendos: si autem noluerint, concedendum illis esse coniugium, ita vt cum perfecta ætate in coniugio positi renuntiaturos se pari consensu operibus carnis proponerint, ad sacros gradus aspirent.* Idem in Concilio Tolet. III. can. 5. vbi additur, *Non sub vno conclauis maritatus, &c.* Faciunt etiam ad hanc & præcedentē assertionem confirmandam quæ traduntur in Concilio Tolet. IV. can. 42. & 43. & Tolet. VIII. can. 5. & Tolet. IX. can. 10. Præterea Concilium Auafricanum I. can. 22. sic statuit: *Sedit præterea vt deinceps non ordinentur diaconi coniugati nisi qui prius conuersionis proposito professi fuerint castitatem.* & can. 23. ab officio abijciendum dicit Leuitam, qui cum vxore sua in continentia inuenitur. Vnde constat ante illa decreta id seruati esse in superioribus ordinibus, de quibus nunc agimus: cap. autē 24. amplectitur canonē Concilii Nannensis, supra citati, & in Concilio Agathensi can. 9. decreta Leonis & Sicuti supra citari seruati mandantur, & can. 16. Vt coniugati ordinari possint vxorum voluntatē requirendam esse dicit, vt mutuo consensu, religione promissa ordinari possint, referunt in cap. Episcopus d. 77.

Concilium autem Turoninum I. sub Hilario can. 2. hanc prohibitionem moderari videtur, refert enim à superioribus Patribus *emissa auctoritate fuisse constitutum* (sic enim loquitur) vt priuaretur communione sacerdos, aut Leuita vacans procreationi filiorum, ipsa autem rigore leniendo statuit, vt huiusmodi clerici ad altiore gradum non ascendant, neq; sacrificia Deo offerre, vel plebi ministrare præsumant, & addit, *Sufficiat his tantū vt à communione non efficiantur aliter.* Ex quibus vltimis verbis posse aliquis colligere illos clericos non peccasse tunc in tali facto, cum non conferentur communione indigni. Item quia videtur Concilium illis permittere tale factum, dummodo non ministrent, neq; vterius descendant. Sed non ita intelligendū puto, quia tam grauis pena, vt est depositio, non imponeretur sine graui culpa, & quia illud decretū non corrigi superiora nisi moderatione cuiusdam pænæ: non est ergo vltra extendendum. Item, quia Conciliū illud non poterat auferre votum castitatis, q̄ ab illis clericis iam tunc emittebatur, iuxta Concilia supra citata: ergo non poterat illos à culpa excusare. Solum ergo decreuit, vt sic peccantes non priuarentur communione, dummodo (ita enim interpretor) penitentiam sui peccati agerent, & simili consuetudine abstinerent: itaq; licet penitentiam agerent, deponēbantur, non tamen eorum communione priuabantur.

Atq; eodem modo intelligo canonem I. Concilij III. Auelionensis, qui habet, *Vt nullus clericorum à subdiacono, & supra, & quibus vxores in proposito suo accipere iubetur, propria si forte iam habeat, m̄scatur vxori. Quod si fuerit, laica a communione consensus, iuxta priorum canonū statuta ab officio deponatur.* In Concilio veto Matiscōnensi can. 11. additur huiusmodi clericis omni esse dignitate priuandos, & expresse nominat Episcopos, & Presbyteros, de alijs veto sub hac generalitate loquitur, vel vniuersi honoratiores clerici cum sublimi dignitatis apice sublimentur, actibus omnino renuunt seculi, & sacro electi ministerio repudiet carnale consortium. Eadem de depositionis pœna imponitur

Fr. Suarez de statu relig. tom. 3.

in Concilio Wormatiensi c. 9. & ad subdiaconos extenditur. In Concilio autem Turonico can. 20. præter pœnam depositionis additur excommunicatio vnus integri anni, his qui in hoc delicto inuenti fuerint, & multa alia magna prudentia prouidentur ad obseruantiam huius continentie clericorum. De quo et aliqua adduntur in Concilio Altiudorense can. 20. Illa autē cautio mirabilis est, q̄ ante septingētos annos addidit Concil. Moguntinū sub Arnolpho c. 10. vbi interdicitur clericis habere mulieres in proprijs domibus, etiāsi maxime videatur omni suspitione carere.

Ex his ergo satis constat legem hanc communi ecclesiarum consensu fuisse in Occidentali Ecclesia receptam; eandem vero à sanctis Patribus Latinis eiusdem antiquitatis summis laudibus fuisse commendatam, intelligi facile potest ex Ambrosio, li. 1. de Officijs c. 50. vbi solum vsq; ad Diaconos hanc legem extendit, & ferè omnibus rationibus, & congruentijs supra tactis illam confirmat, quas breuiter tergit. ad Tim. 3. & lib. 3. epistolar. epist. 25. alias 82. ad Vercellensem Ecclesiam, vbi aduertit Apostolū ad Tim. 3. & ad Tit. 1. non dixisse de Episcopo filios faciente, sed filios habere subditos cum omni humilitate, scilicet, si ante suam ordinationem ex vnico coniugio illos habuerit. Præterea Augustin. li. 2. de adul. coniug. c. 20. continentiam clericorum alijs proponit in exemplum: sunt autē valde notanda verba. *Solemus* (inquit) *enim proponere etiam continentiam clericorum qui plerumq; ad eandem farinam subeundam capiuntur inuicem, eamq; susceptam vsq; ad debitum finem Domino adiuvante perducunt.* Faciunt enim hæc verba ad difficultatē superiori capite tractatā, significat enim Augustinus etiam aliquis inuitus ordinari cōpellatur, ad continentiam seruandam obligari, neq; hoc esse inconueniens persequationem quandam, vt tibi explicauimus. Posset autem Augustinus exponi de inuoluntario secundum quid, per importunas preces & populi desiderium, vt Ambrosius sic enim intelligendum videtur, quod Augustinus subdit, *Dicimus ergo eis* (id est, laicis) *quid si & vos ad hoc subeundum populorum violentia caperemini? nonne susceptum caste christi dretis officium, repente cōuersi ad imperandas vires à Domino, de quibus nunquam antea cogitastis?*

Eadem veritas traditur nomine Augustini in libro questionum ex vtroq; Testam. mixt. q. 127. in fine, & optimis moralibus rationibus hoc probatur. Idem sumitur ex Tertull. lib. de exhortat. ad castit. c. 8. & li. de monogam. cap. etiam 8. Et ex Cyprian. epist. 62. vbi Diaconos computat inter eos, qui se castrauerunt propter regnum cælorum: ergo à fortiori id supponit de Episcopo, & Presbytero. Idem sæpe repetit Hier. lib. 1. contra Iouinian. & epist. ad Pamach. de eodem argumento, & lib. contra Vigilantium. Sumitur etiā ex Iuliodoro l. 2. de diuin. officijs c. 5. 8. & 10. q̄ testimonium infra magis explicabimus. Est etiam optima historia quæ refert Greg. Turonens. lib. 4. hist. Franc. c. 4. de Macliano fratre cuiusdam comitis Britannici, qui vxorem dimisit, & Episcopus ordinatus est, post mortem autem fratris, & vxorem, quā reliquerat, accepit; & propter eam causam ab Episcopo excommunicatus est. Quod est manifestum indicium obligationis Episcopi abstineri etiā à propria vxore, exitimatā tunc fuisse grauissimā, cum nec Regi post tantarum mutationem fuerit permilla.

CAPVT XV.

Quæ & qualis sit ac fuerit obligatio seruandæ castitatem in Episcopis & Presbyteris Ecclesie Orientalis.

Superest vt de Orientalis Ecclesie consuetudine dicamus: constat enim ex nunc & ante multos annos non esse obseruatā à Græcis, vt Episcopi vel Presbyteri à proprijs vxoribus si ante ordinationem illas

